

Sacra igitur haec Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato Summi Pontificis, eundem Ordinem lectionum Missae promulgat, statuens ut a die 30 novembris, dominica prima Adventus, huius anni 1969 vigore incipiat Adhibebitur autem proximo anno liturgico, series B lectionum dominicalium et series II prioris lectionis in feris « per annum ».

Cum autem in praesenti Ordine indicationes tantummodo praebentur pro singulis lectionibus, curae Conferentiarum Episcopalium committitur ut textus integri apparentur in linguis vernaculis, servatis normis quae statutae sunt per Instructionem de popularibus interpretationibus conficiendis, datam a Consilio ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia, die 25 ianuarii 1969. Textus vero populares aut sumantur e Sacrae Scripturae interpretationibus pro singulis regionibus iam legitime approbatis et ab Apostolica Sede confirmatis, aut, si ex novo conficiuntur, confirmationi huius Sacrae Congregationis proponantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex aedibus S. Congregationis pro Cultu Divino, die 25 maii 1969, dominica Pentecostes.

BENNO Card. GUT, *Praefectus*

H. Bugnini, *a Secretis*

V

Prot. n. 98/69

De Missali Romano et novo calendario

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM

Instante Rev.mo P. Aniceto Fernández, Magistro Generali Ordinis Fratrum Praedicatorum, litteris die 23 maii 1969 datis, facultatibus huic Sacrae Congregationi a Summo Pontifice PAULO PP. VI tributis, perlibenter concedimus ut pro universo Ordine Fratrum Praedicatorum sequentia adoptari valent, nempe:

1. MISSALE ROMANUM ex Decreto Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II instauratum et auctoritate Pauli PP. VI promulgatum.
2. NORMAE UNIVERSALES DE ANNO LITURGICO ET NOVUM CALENDARIUM ROMANUM GENERALE, a Summo Pontifice Paulo PP. VI per Litteras Apostolicas *Mysterii Paschalis celebrationem*, die 14 februarii 1969 datas, approbata, simul cum LITANIIS SANCTORUM.

Attendatur autem ad ea quae sequuntur:

a) Magister Generalis Ordinis, post adoptionem Missalis Romani pro universo Ordine Fratrum Praedicatorum, ipse pro sacerdotibus totius Ordinis vel Provincialis pro suis subditis concedere valet licentiam celebrandi Missae Sacrificium iuxta ritum dominicanum hucusque vigentem.

b) Dum Calendarium particulare definitivum Ordinis rite paratum sit et approbatum, ad interim Sancti Ordinis Fratrum Praedicatorum qui celebrentur tamquam festa I classis, habeantur tamquam « Sollemnitates » (nempe, B.M.V. a Rosario, S.P. Dominici, S. Thomae Aquinatis et S. Catharinae Senensis); qui vero recensentur tamquam festa II classis, tamquam « Festa » recolantur; Sancti vero et Beati gradu III classis celebrati, nunc uti memoriae obligatoriae habeantur; ceteri vero tamquam memoriae seu commemorationes, ad gradum « Memoriae ad libitum » reducantur.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

E Civitate Vaticana, die 2 iunii 1969.

B. Card. GUT
Praefectus

A. BUGNINI
a Secretis

VI

Prot. n. 532/69

INSTRUCTIO

de calendariis particularibus ad interim accommodandis

Decreto Sacrae Congregationis Rituum, quo novum Calendarium Romanum generale promulgatur, statuitur Calendaria et Propria officiorum atque Missarum esse recognoscenda « p[re] oculis habitis normis ad ordinationem anni liturgici spectantibus ». Ad hoc opus facilius et securius reddendum, haec Sacra Congregatio pro Cultu divino opportunas tradet indicationes et normas.

Interim, *pro anno* 1970 et donec editio typica librorum liturgicorum completa sit, haec serventur:

1. Celebrationes, quae etiam in Calendario generali inscribuntur, eadem ratione, qua in eo recensentur, peragantur.